



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]

XXI. Maji.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)

B. Godricus Eremita quoties animo triste aliquid patiebatur, ad Deiparam voce in cantum conformatâ confugit pro solatio, & verè copiosum accepit, dum MARIAM sibi apparentem intueri meruit. Hæc ejus affecti ad Virginem erat precatio: Sancta MARIA tuo miserans succurre Godrico. *German. in vita PP.* Nec dies sine nube, nec vita transit ulla sine dolore.

B. Godrice doce me ita desolationes, quæ mihi in hac valle miseriarum accidunt, ferre, ut nihil me contristet, nisi quod DEO & MARIÆ displicet. Huic me commenda in clientem, ut ubi mortis horror corpus, & imminentis judicii metus animam concusserit, illa mihi sit solatio. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Nudis hodie genibus, priusquam somnum capiam, Deiparam venerabor.

MARIA! cùm maternam habeas apud tuum Filium fiduciam, atque potentiam; nos tuis interpellationibus ipsi efficis familiares, das salutem, ab æternòque liberas supplicio. *S. Germ. de Zona Vir.*

Quæstio: An publica cum communi, an privata ejusdem devotio MARIÆ plus placeat?